OLAI
RA.
SII.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

1. Gymnasium Logicum repetitum
2. Exercitatio de Cognitione humana universa.
3. Tr. de Esse alicubi seu Ubicatate.
4. Pro methodo Trinitatis aliisq materiis Apologia.
5. Quadrigatus expensus seu Consideratio quadrigae quaestionum de Syncretismo nonnemini Wittebergae emissa.
6. Exercitatio de Prudentia Theologica.
7. Exerc. de Obedientia tam Civili quam Spirituali.

D. O. M. A.

Gymnasii Logici repetiti

DIATRIBE XIV.

DE

SYLLOGISMO TOPICO SIVE PROBABILI.

Disputationis loco

Ad sententiarum collationem

in Gymnasio Gedanensi proposita

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Philos. Professore

Publico.

Respondentis partes obtinente

WENCESLAO â KÜNAST, Bernstadiensi Silesio.

Ad diem 21. Aprilis. S. N.

In Auditorio Philosophico.

Horis ab 8. matutinis.

Dantisci, Typis GeorgI RhetI,

ANNO CIↃ. IↃC. XL.

Gymnasii Logici repetiti
DIATRIBE XIV.
De Syllogismo Topico & probabili.

I.

N*Avem agere ignarus navis timet: abrotanum ægro Non audet, nisi qui didicit, dare: quod Medicorum est, Promittunt Medici, tractant fabrilia fabri. Vt pulcrè* Horatius l. 2. Epist. 1. *Non absimili modo argumenta vibrare non ausit, nisi qui modum argumentandi probè cognoverit. Et quod Logicorum est, hactenùs tractandum sit Logicis. Quorsum præcipuè Syllogis. Topicus s. Dialecticus pertinet, in omni materiâ scibili promptum & verisimilem argumentandi modum suppeditans: ob generalissimas ratiocinandi rationes, quas accuratè materiis applicare sub universalibus maximis docere annititur. Vnde Veteres diligenter in quotidianis congressibus illa sua ἐπιχειρήματα, quomodo vocabant Dialecticas ratiocinationes, tyronibus Philosophiæ inculcabant. Earum naturam & procedendi modum peculiari diatribe fusiùs explicare ordo tractatorum postulat.*

2. *Tractatio Syll. Topici* vel *præcognitionis esse potest*, vel *cognitionis*. Præcognitionis *quadruplex*. An *peculiariter in Logicis tractandus?* An *jure Apodictico post, & Elenchtico præponendus?* An *rectè dicatur in probabilibus & contingentibus versari?* An *adæquatum Topicorum Aristotelis objectum?*

3. Quà primum: *Negant de eo peculiariter agendum Ramei.* v. Cl. I. M. l. 1. disc. Ram. c. 2. q. 5. Agricola ap. Keck. l. 3. Log. s. 2. c. 2. Morisanus præf. l. 1. Top. *Vnde & communiter in doctrinâ Syllog. omittunt. Quòd tota Logica sit generalis ars. E. non specialia tractare debeat. Quale quid Syllog Topicus. Et quòd finis internus Logicæ sit tradere instrumenta*

scientiarum. At scientiæ non utantur Syllog. Topico. Moris: c. 1. *Quæ contrà hic urgenda sunt, magnam partem ex* d. 13. t. 3. *patent. Hic illud urgendum: Dato veritatis eruendæ diverso & speciali modo, dandum est diversum instrumentum Logicũ, quo eruatur. Nam Logici est, sufficienter omnes instrumentorum modos præbere, & generales & speciales, quibus veritas erui poßit. At datur diversus veritatis modus ab Apodictico, nempè probabilis vel credibilis. Sic alius est veritatis modus, homo est animal, necessarius: & homo est ambulans, contingens. E. & dandum in Log: peculiare ejus instrumentum. At hoc Syll. Topicus. E. Ad argumenta contraria R.* Ad 1.: *Logica est generalis, sed servato modo, Vt quandoq; & specialia instrumenta, certis materiis applicanda, enumeret. Est generalis ratione inferiorum disciplinarum & facultatum, particulare objectum explicantium: Tale quid non est Logica: Non ratione omnium partium suarum, aut instrumentorum in specie, quasi omnia ejusdem generalitatis esse debeant. Ita generalior est Syllog. formalis in genere, quàm specialis in specie, tali vel tali materiâ. Hæc specialitas Logicæ nihil officit.* Dices: *Hæc specialitas ex Syll. generali judicari potest. R. Falsum hoc. Nam ut res sunt, ita in proportione rerum probationes. Sed res sunt aliæ necessariæ, aliæ probabiles: aliæ immutabiles, aliæ mutabiles. E. & illarum probationes diversæ. Formam ratiocinandi in his ex Syll. generali habebis: Modum procedendi in & ex speciali materiâ nequaquam. Hic indiget peculiaribus præceptis.* Ad 2.: *Logicæ finis internus est tradere instrumenta bonæ ratiocinationis.* V. d. 1. t. 23. *s. ea scientiarum s. disciplinarum probabilium sint. Et in ipsis scientijs multa occurrunt probabilia, ex Topicis dijudicanda.*

4. Quà secundum: Danhauverus *omninò Apodictico præmittendum putat* præf. epit. dial. & ide. interp. s. 1. §. 40. &

40. & ide. disput. f. 1. §. c. 2. §. 33. Ita & Piccartus p. 408. synops: org. *Quòd progymnasmata sint præmittenda ipsis artib. Topica a. progymnasia aliqua sit. Et via prior metâ. Topica velut via, Apodictica velut meta. Ipse etiam* Aristot. *Topicam præmiserit, ut quam citet in* Apodict. l. 2. prior. c. 19. *At liber citatus prior citante. Nota hic 1.* In *materiali rerum cognitione ab imperfectiorib. & faciliorib. inchoamus: in formali interdum â perfectiorib. & difficiliorib.* V. d. 13. t. 10. *Sic in Metaph: priùs de infinito, ac finito, causa ac causato, subjecto ac adjuncto agimus.* 2. Sæpè *â nobilioribus inchoamus, ut principijs, homine, adamante, elephante, &c.* 3. Ordo *accuratæ & distinctæ doctrinæ sæpè â difficiliorib. & priorib. ad posteriora procedit, si ad distinctam cæterorum cognitionem ista faciant. Sic in parte 1. Log. multa sunt difficiliora, ac secundâ. Et sic hic ab Apodictico inchoamus, multum n. is ad cognitionem veri probabilis, quod in Topicis, facit.* 4. Aliud *etiam Ordo totius disciplinæ: aliud partium quarundam in illa, qui sæpè arbitrarius. Sic possunt nobiliora præmitti vilioribus, vel contrà procedi.* V. d. 16. t. 12. *Sic hic apodicticus Topico, & hic elenchtico præmittitur, quia nobiliores isti hoc sunt. Verum nobilius falso, & necessarium apparente.*

5. Quà tertium: *Vulgò dicitur Apodict. Syllog. versari circa necessaria, Topicum circa probabilia vel contingentia Negat* Timpl: l. 4. Log. c. 6. q. 11. *sufficienter ita distingui Syllogismos, quòd & Topicus necessaria argumenta quandoq; suppeditet: Vt à definitione ad definitum; formâ specificâ ad formatum, specie ad genus, principijs internis ad principiata. & c.* Keckerman. *plures argumentandi modos necessarios à subjecto, accidente proprio, toto & parte, Circumstantibus, objecto, comitantibus, divisione, oppositis, &c. addidit, quos ad Syll. necessarium dicticum, ut ipse vocat, retulit.* l. 3. Log. s. 2. c. 9. 10.

seq. *Eosq; laudat* Vedelius l. 2. Rat. Theol. c. 3. & Aristotelem *Topicam à potiore objecto inscripsisse ait.* Cl. I. M. c. Keck. l. 2. s. 2. c. 8. 9. 10 seq. *multas talium argumentationum non ex vi propriâ istorum Canonum, sed alieno, externo quodam principio ad demonstrationem redacto necessarias esse demonstrat. Sic: Cui differentia aut forma tribuitur, ei & formatum. Pygmæis forma hominis tribuitur. Ergò. Tota vis argumentandi ex minoris probatione profluet, de quâ si dubites, nunquam necessariã argumentationem ex majore deduces. Nisi in minore ad definitionem subjecti vel effecta recurras. Quod jam ex principio quodam apodictico procedere erit, nam & ea ibi pro medio.* V. d. 13. t. 26. *Et sic iste argumentandi modus ex solo Canone dictico parum firmam probationem habebit. Idemq; in cæteris probandi modis procedere probat idem* c. l. *Sic: Cui genus tribuitur, ei species indeterminata: ex eo, quòd non plures sint species sub uno genere. Quod quando scio, jam mihi conclusio notior est, quàm Canon ille, ex quo probari debet. Nec isto magnoperè opus erit.*

6. Zanakius l. 3. Cl. I. M. s. 2. c. 8. q. 6. *responsurus ad hæc argumenta, varia excipit. 1. Negat Conclusionem necessariam immediatè debere fluere ex principio. Sic homo sentit, Nõ quà homo, sed quà animal. Sed hoc non vult* Cl. I. M. *Sed illud, Canonem debere esse velut immediatam causam, per quam proximè intelligatur Conclusio. Id in demonstratione omninò requiri patet ex* d. 13. 1. 14. *Si demonstr.* ē. *quandoq; excepetis. Ad quam exemplum* à Keck: & Zanak: *allatum non pertinet, & sic nihil erit, eam hic regerere.* Zanakius *adducit aliquod subjectum, quod non est immediatum subjectum suæ effectionis, sed mediatum. Homo sentit, eò quod animal est. At hoc nihil ad rem. Addatur causa, & ita videbitur, esse immediatam collectionem è causâ efficiente per emanationem: Nempe quia*

est animal. Sic: Omne animal sentit. Homo est animal. E. homo sentit. Jam major est immediata & proxima causa, Cur passio tribuatur subjecto in Conclusione. Et propter majorem nosti hanc Conclusionem, etsi ejus subjectum sit mediatum. Jam applica hoc ad Canonem, Zanaki, & videbis diversitatē. Cui tribuitur genus, ei aliqua species. Homini tribuitur genus. E. vel homo, vel brutum? Inferturne hæc conclusio immediatè ex majore, ut principio. Nullo modo. Sed hoc tantùm: E. aliqua species. Quòd illa aut homo, aut brutum sit, hoc aliundè nosse oportet, nempe, quòd sub animali non sint plures species, quàm istæ.

7. 2. Idem c. 9. ad illud de formâ aut differentiâ regerit, in multis Syll: Apodict. minorem esse dubiam, & tamen esse argumentationem necessariam: Vt, quot sunt elementa, tot sunt temperamenta. At 4. sunt elementa. Ergò. &c. Quod pulmones habet, respirat. Canes pulmones habent. E. Sed hæc etiam sunt aliena. Esto, sit minor dubia: Poterit aliundè probari, s. sensu, s. inductione, s. terminorum expositione: Quanquam in demonstratione minor debet præassumi magis, quàm probari. Tamen tota vis probationis debet ex majore, tanquam immediato fundamento conclusionis, pendere. Ita ut majore cognitâ & ejus terminis notis, immutabilis sequatur assensus ad Conclusionem. Sic, quicquid pulmones habet, respirat. Canes pulmones habent. E. Conclusionis vis pracipua radicatur in majore, in quâ immediata causa effectus demonstrati in Conclusione de subjecto fundabatur. Neq; hic probatio ex alieno principio arcessenda est. Et ad hoc intentum, quod Cl. I. M. satis clarè expresserat p. 813 respiciendum fuisset Zanakio: Et vidisset, in propositâ materiâ ita non esse. Nam in his Canonibus deducendis tota vis inferendi ex minore pendet, & ex principio aliundè assumpto, V. c. 5. non ex majore: Quod secùs est in verâ demonstratio-

stratione. Et sic isti Canones magnam partem non sunt idonei pro necessario argumento constituendo. De testimonio DEI & sensuum certum est, non esse media scientifica, prout scientia hic sumitur. Certò & verissimè aliquid probant, apud eos, qui ea assumunt, non tamen scientificè. Interdum scire latè dicitur & de illis, quæ certò cognoscuntur. Quorsum loca Zanak.c.8. è Job.19. v.25. Joh.11. v.24. *& Scoto allegata pertinent. Ipsa cognitio & assensus fidei dicitur scire,* Rom.4. v.21. 2.Tim. 1. v.12. *Non tamen rigida scientia, ut hic sumitur. Multa firmè probantur, quæ non statim scientificè.* V. d.13. t.23.26.

8. Crell. præf. l.1. pa.pro. *Verum partium materialium Log. discrimen à fine sumendum ait, & sic Topices finem esse probabili argumento fidem facere, vel probandi vel præparandi ergò: Materiam non semper esse probabilem, sed quandoq; necessariam in Topicis.* Mendoza d.11. Log. s.6. §.31. & Titel. l. 4. Lo.c.32. *ab actibus præmissarum discrimen deducunt, q in demon. actus omninò certi & evidentes, in Syll. Top. inevidentes & obscuri assumantur. Communissimè à materià probabili solet dici Topica. Commodissimè dicetur Topica esse probabilis argumentatio,* à modo arguendi, fine & effectu, & materiâ formaliter sub habitudine probabilis sumptâ, *etsi aliàs materialiter necessaria esse possit.*

9. A modo arguendi: *Nam hic est verisimilis. Non quæritur hic immediata connexio terminorum, ut ab uno posito ad alium necessariò procedatur; sed verisimilis cohæsio, unde credibilis illatio educi possit.* Fine & effectu: *Non finis aut effectus hic, immota scientia, ut in demonstratione, sed probabilis probandorum evidentia.* Materiâ formaliter *sub probabili sumptâ: i.e. principia, ex quibus hic argumentatio concluditur, ut verisimilia assumuntur, etsi in se interdum sint necessaria. Sic v. g. à causis vel effectis hic proceditur, sed ut possunt*

esse fun-

esse fundamenta probabilis argumenti, non ut immobile argumentum præbent. Loci enim à totis, partibus, subjectis, causis, ex se ad necessitatem & probabilitatem indifferentes sunt possuntq́ inde vel nec. vel probab. argumenta duci, prout axiomata necessaria vel prob. fuerint, Vt benè c. l. *probat* Vedelius. *Ita ergò ab omnibus locus & Topicus & Apodicticus locus arg. Topici sumi potest, prout habitudinem verisimilis induit. Quomodo partialiter eos benè persequitur* Keckerman: l.3.f.2.c.2.3. *etsi in quibodã desiderari aliquid possit.* V.t.5.6. *Et per hoc formale sufficiẽter Topica distinguitur ab Apodicticâ. Videturq́ huc respexisse* Arist. Vbi 8. Top. c. 1. *inventionem loci Dialectico (i. e. probabili disputatori) & Philosopho (i. e. necessario) communem vocat.* *Sic* 1. post. c. 14. *inventionem medij demonstrativi ex Topicis eliciendam ait. Ita ergò necessaria, cognita tantùm ut probabilia, facient Syll. Dialecticum: Vel probabilia & à parte rei & conceptus nostri, Vt loquuntur hac in re* Conimbr. in 1. Top. c.2.q.1.a.1. & Morisan. in c.1.l.1. Top. (*Et sic modus veritatis materialis sub formali semper erit probabilis, etsi sub materiali etiam necessario in se esse possit.*) *Quos sequuntur* Fonseca l. 7. Log. c. 9. Dn. Schei. d. Syll. c.16.n. 17. Cl. Weg. q.1. in l. Top. n. 4. Raconis d. Syll. Top. s. 1. q. 2. Casus in l: Top. q. 3. Regius lib. 4. Log. q. 9. Flacius l. 1. Dial: c. 3. 4. *Alijq́. Vel, si omninò ex necessarijs necessariam aliquando educat Conclusionem Topica, nunquam tamen ad tres istos necessitatis gradus* d. 13. t. 17. 18. *enumeratos ascendit, sed plerumq́ inter probabilia se cogit. Vt placet* Nihusq́ d. 10. Log. t. 3.

10. Quà quartum: *Subjectum adæquatum librorum Topicorum Arist:* tractationis & considerationis *est Syllog. Dialecticus: Ejus enim definitio, divisio, principia, hic pertractantur:* Operationis *est problema s. propositio Dialectica:*

quæ

quæ quid differant, V. t. 15. *Circa illam enim Syll. Topicus est occupatus*: Informationis est *animus humanus*: perfectionis *est intellectus humanus, qui informatur præceptis Syllogismi Topici, ne in Topicâ ratiocinatione exerret*.

11. *Fuit* præcognitio. Cognitio *est Nominalis* & *Realis*. Nominalis homonymica *De voce Syllogismi* V. d.10.t. d.7. *De voce Topici nota, hic sumi* partim *pro loco, unde argumentum probabile petitur*, partim *pro ipso argum: probabili*. Etymologica, *ubi à τόπ⊕ i. e. locus dicitur, quòd velut ex certo argumentandi loco desumatur*, & Synonymica, *quâ Syll. Dialecticus, strictè, non* latè *vocem sumendo, ut materialis partis 3. notetur, & Apodictico & Elenchtico contrà distinguatur: Item Syll. probabilis, contingens, verisimilis, ex probabilibus concludens, credibilis, opinionem generans: Græcis* ἔνδοξ⊕, ἐπιχείρημα, ἐπιχειρηματικὸς, *quòd in congressibus quasi adinvadendum in quacunq; materiâ sit aptus*, &c. *In his enim frequens ejus olim usus*. V. Keck. c. 1. Top.

12. *Quidam aliquem Syll. Dialecticum* notionalem vocant, *qui ex Conclusione & præmissis notionem Logicam habentibus procedat*. Vt Keck. c. I. Cl. I. M. c. Keck. c. I. c. 1. *negat eam appellationem. Et rectè. Nam si sic notionalis dicendus esset Syllog.: etiam is esset addendus, qui ex notionibus Grãmaticis, Rhetoricis, Poëticis, cum primis conjunctis, non solùm Logicis, exstruetur. Nam de istis etiam possumus disputare, ut Criticorum, & Rhetorum, & Oratorum disputationes evincunt. Sic de Tropo in Cænâ disputatur. Strictior ergò ista definitio definitio. Extra oleas vagatur* Zanack. c. l. c. 1. f. 2. *regerens, Logicam non curare Grammatica, sed notionibus sibi propriis rem proponere. Et esse modos argumentandi in Logicis, quorũ beneficio in Gram. & Rhetoricis inferri possit. Hæc de Syll. formali procedunt, ubi nullus habetur ad materialia respectus. Sed hic di-*

hic divisio instituitur Syllog. materialis, ut ex principio capitu in Keck. apparet. Si ex matriâ Syllog. dividendus in notionalem & realem, E. sub notionali omnis is comprehendendus, qui notiones aliquas secundas continet. Secùs nimis stricta erit definitio. Vt benè Cl. I. M. & Scheib. c. l. c. 14. n. 15. At notiones secundæ non ex Logicis tantùm sumuntur, sed & Rhetoricis, Grammaticis, Poëticis &c. si materiam spectes. Ex quo si Syll. in not. & realem dividas, notionalis dicendus ille, qui de notione aliquâ secundâ procedat, qualiscunq; sit illa. Hoc exhauriet omne id, quod sub definitione contineri potest; Non sola notio Logica. Vidit hoc Alstedius l. 7. Log. har. c. 17. & Timpl. l. 4. Log. c. 6. q. 12. Ideoq; Syllogism. notionalem, quem deuteronoëmaticum vocant, definiunt, quòd sit, qui habeat Terminos Notionis secundæ, generaliter. Et hoc verè. Atq; hoc modo Syll. notionalem concedit Cl. I. M. c. l. & C. 5. d. 4. q. 1. & nos cum illo.

13. Fuit Nominalis cognitio. Realis est definitiva, divisiva, & affectiva. Definitio sit: Syllog. Topicus est Syllog. materialis, ex probabilibus principiis problema dialecticum materialiter deducens, ad gignendam probabilem opinionem.

14. Genus est Syllog. materialis. De his d. 13. t. 2. vid. Differentia est 1. Ex probabilibus principiis. Probabilia dicuntur, quibus faciliùs datur assensus, quàm negatur. Græcis ἔνδοξα: & ἄδοξα, quæ contrà se habent. Suntq; vel immediata & per se, quæ cognitis saltem Terminis assensum merentur: ut, Parentes colendi: Quod tibi fieri non vis, nec alteri facias: Vel mediata & per aliud, Vt summum bonum consistit in actione virtutis: Temperamentum in certâ dispositione consistit primarum qualitatum: Elementa sunt principia mistorum: Alia sunt probabilia realiter & in se, alia assumptivè & notionaliter, in nostro conceptu ita assumpta. V. t. 9. Vtraq; hic assumi possunt. Alia sunt probabilia verè, alia

apparenter. Priora hic requiruntur. Posterioribus Sophistæ utuntur, V. d. 15. t. 10. *Dicuntur probabilia pluraliter, permissivè; fieri enim potest, ut utraq; præmissa sit probabilis, non necessariò ita est. Sæpè una saltem est probabilis, altera necessaria. Ita in syll. Sophistico sæpè una est falsa, altera probabiliter vera. Hoc Satis ad falsitatem. Ita in Enthymemate probabilis præmissa una præmitti potest, & ex eâ Conclusio educi. Hæc principia quà modum & potentiam obædientialem proponuntur à Logico: quà fundamentum & rem, è quibus desumuntur, non in ipsis Topicis sunt: sed partim in prima Log. parte, ut definitio, divisio, genus, species: partim Grammaticis, ut conjugata, Notatio: partim Metaphysicis, ut causæ, causata, Tota, partes, &c. Ex quibus ad potentiam obedientialem in Topicis, quà modum argumentandi probabilem, eruendam, arcessuntur.* V. t. 18.

15. *Dicitur* 2. Problema Dialecticum. Problema *dicitur, cum ita rogatur, ut utraq; respondendi pars liberæ relinquatur. Vt, Estne animal rationale definitio hominis, nec ne?* Propositio, *cum altera pars rogatur. Vt, Nonne parentes sunt honorandi? Et sic accidentale inter ea est discrimen, in modo proferendi. Vt benè* Dn. Weg. c. l. q. 2. n. 3. Fab. in l. 1. Top. c. 4. q. 2. & c. 10. q. 1. Casus in l. Top. q. 4. *Porrò problemata Dialectica ex omnibus disciplinis sumi possunt, & ita variè dividi.* V. Weg. c. l. n. 5. Aristot. 1. Top. c. 3. *ratione materiæ problema Dialecticum divisit in problema accidentis, generis, definitionis, & proprii. Hoc non ita intelligendum, quasi ex istis 4. tanquam locis argumenta quæstioni dubiæ fidem facientia tantùm depromi possint: Longè enim plura sunt loca argumentorum, ut tota, partes, causæ, causata, Testimonia, &c. neq; unquam ita intellexit Arist: sed quòd* Major Terminus, *i. e. prædicatum quæstionis, semper ad aliquid horum referri possit, & sub hujus ratione vel explicitè vel implicitè quæratur. Vt benè* Weg. c. l. q. 4. & D. J.

M. l. 4.

M. l. 4. Pæd. Log. c. 19. *Hoc vult Arist. quando hæc 4. ea esse dicit, quæ sub disputationem cadant.* 1. Top. c. 4. *At loca argumentorum, s. medij termini, argumenta suppeditantes, non cadunt sub disputationem, sed sunt rationes fidem quæsito facientes.*

16. *Nec huic numero officit 1. Prædicabilia esse 5.* V. d. 3. t. 24. *Nam* illa *ex modis prædicandi affirmatis sumebantur:* hæc *ex modis probandi:* Illa *termini tantùm erant:* hæc *etiam enunciata esse possunt.* Illa *in quavis prædicatione materiali finitâ locum habebant:* hæc *saltem in probabili & Dialecticâ, non Apodicticâ:* Illa *etiam de subjecto singulari locum habent:* hæc *inprimis de Vniversali. Nam de singulari procedit Syll. expositorius, qui communiter è Topicis removetur. Et cum de Individuo quæritur ut, An Aristot. causa mortis Alexandri M. fuerit, quod* Gassendus *regerit* l. 1. co. Arist. ex. 5. §. 5. *partim ex inartificia lib tantùm, ut testimonus & historiâ probatur, unde peculiarib. Canonib. Topicis opus non habet: partim ad problema accidētis referri potest, Quærit n. an insit?* 2. Etiā *de differentiâ & specie quæri posse. Nā eundē modū probandi cum genere habent: Vnde ad istud prædicatum referuntur. Et species non prædicatur ordinariè, nisi de Individuis. At subjecta singlaria hic non multū curantur.* 3. Etiā *de causis & effectis quæri posse. Nam causæ vel effecta vel sunt generalia & accidentalia, & sic ad quæ: accidentis referuntur: Vel specialia & essentialia, & sic ad proprium: Vel sunt causæ internæ, & sic ad definitionem pertinent.* 4. Non *semper sub istis nominibus quæri, an aliquod sic accidens, definitio &c. Sed quandoq; simpliciter, an alterum insit alteri. Nec enim opo. ut semper expreßè sub istis terminis problema formetur: sufficit, si omne ad eorum aliquem referatur, & sub ha bitudine ejus quæri poßit. Et hoc modo velut generales modos Arist.: aßignavit, ad quorum virtutem omnia problemata Topica revocari poßint.*

17. *Dicitur* 3. Materialiter deducens. *Hic non solùm forma argumentandi æstimatur, sed & materia: & videtur, quomo-*

do ex ipsâ materiâ Logicè ad probabilitatem determinatâ per certos modos & Canones, quos Loci Topici suppeditant, probabilis ratio s. argumentum educi possit. V. d. 13. t. 13. *Cum* deduci *hic dicitur, intelligitur, ipsum argumentum formandum esse in Topicis, & ex Topicis, si principia argumenti sint communia. Nam si sint disciplinæ certæ propria, ut Physica vel Mathematica, frustra ea ex Topicis quæsiveris, Nisi ad rationem communium ea redegeris. Atq; ita quod non argumenti formationem docet, in hâc materiâ est alienum. Vt farrago illa Terminorum, quales causæ, causata, tota, partes, &c. definita, divisa, realiter explicata,* V. d. 6. t. 34. *Nunquam causa, causat. Subjectũ, adjun. Totum, pars, notio secunda esse potest, prout à Ramistis & mistis tractatur: Ex se enim & sui naturâ ad arguendum alterum affectum est. Quod a. tale, non opus ex operatione intellectus resultans est, hoc e. non notio secunda esse potest, quales in Logicis occurrunt.*

18. *Logica tota disciplina est* notionalis *& instrumen. alis,* *non* realis: *Adeoq; omnia sua noëmata* notionaliter *tractare debet, non materialiter &* realiter. *At docere, quid sit causa, quid causatum, quotuplex, an prior naturâ sit causato; quid totum, quid partes, quomodo differant, &c. & quæ magno numero Ramistæ & misti hic explicare solent, ut ex scriptis illorum patet, omnia sunt realiter tractata. Materiam aliàs Logicis non esse inferendam clamant Ramistæ, cum Syllog. materialem in Log. tractandum audiunt à Peripateticis.* V. d. 13. t. 8. *At hi termini omnes sunt materiales, & materialiter â Ramistis tractati. Logici est, distinguere* inter potentiam terminorнm naturalem s. realem, & obœdientialem. Naturalis & realis est, *cum realia terminorum significata retinentur, & ex ijs natura & vis eorum explicatur. Sic dicitur causa principium, ex quo ut influente res est. Totum ens, quod partes habet. Pars, quæ totum complet. Hac potentia naturalis evolutio est realium disciplinarum propria.* O-

bœdi-

bœdientialis *est, quando notionalis quædam habitudo in terminis consideratur, quâ artificiali invento subjici & sic per artem aliquid ex ijs educi potest. Sic Causam, Causatum, Totum, partem, considerat Logicus, ut per potentiam obædientialem aliquem notionalem modum ex illis terminis elicere potest. Vt modum argumentandi à causis ad effecta, ab his ad illas: A totis ad partes, ab his ad ista, &c. Hoc in istis terminis notionale est, & hoc considerare ad Logicum pertinet. Ita Rhetor in istis terminis potentiam obædientialem considerat, quâ per suam artem Tropis quibusdam, v. g. Metonymiæ, Synecdoches, investiri possunt, & sub hoc intentionali respectu istos terminos considerat.* Absolutè realem istorum terminorum naturam explicare in Logicis, est notiones primas cum secundis perpetuâ conferruminatione confundere. *A quâ confusione non liberabunt se Ramei & misti, quamdiu* potentiam *istorum terminorum* obædientialē à naturali *non distinguere didicerint, Vt benè hæc deducit* Cl. I. M. l. 1. disc. Ram. c. 2. q. 12. 13. *Qui ergò Canones potentiam illam obædientialem ad argumentandum explicant & deducunt, illi in Topicis admittendi: Qui realem illorum Terminorum naturam declarant, in Logicis sunt alieni.* Conf. Cor. Mar. dis. 1. c. Ram. t. 36. d. 2. t. 82. 83. & l. 2. par. prop. d. Top. c. 2.

19. *Vt tota res sit evidentior, removenda sunt quædam, quæ Ramæi obducunt.* Dices 1. Per *illam potentiam obædientialem non excluditur naturalis habitudo causæ, effecti, totius, &c. sed includitur. E. & ille respectus hic non simpliciter negandus.* R. *Non excluditur quidem, sed in Logicis non explicatur aut attenditur. Et hactenùs hic negatur. Sic in Rhetoricis naturale significatum termini, Causæ aut totius, non excluditur: à Rhetore tamen considerari in Tropis negatur.* 2. Priusquam *modum argumentandi scias, oportet habeas præexplicatā materiam, ex quâ istum modum elicias. At hæc explicatio in parte primâ in doctrinâ Terminorum est præmittenda. Imò isti termini præ-*

bent etiam materiam propositionum, & ex ijs subj. vel prædicata prop. sumi possunt. E. in 1. parte præmittendi. Ita Dusa l. 2. Lo. c. 1. th. 2. & Ram9 l. 2. Sch. Log. c. 7. *Vnum argumentum ad varios usus transferri posse ait. Et ad argumentationes, & enunciata. R. 1. Quidam putant, in prædicamentis proponi istam materiam,* V. Cor. Mart. c. l. d. 2. t. 23. *Sed alibi dictum, prædicamenta omnem materiam Log. non complecti, & alio fine in Log. proponi.* V. d. 4. t. 5.

20. *2. Falsum, omnem istam materiam in Log. esse proponendam: Cum & à realibus sumatur, & Grammaticis quandoq; ut notatione, allusione, conjugatis, transumptione. At nec realia nec Grammatica sunt fori Logici. 3. Falsum, Locos Topicos pro enuntiationibus esse. Nam in his & quædam veræ, & quædam falsæ sunt, quæ nihilo minus definitionem propositionum habent. At in locis Top. omnia vera esse debent. Et Topica inventio multum habet artis: At nec enunt. vera multum, & falsa nihil prorsus artis, sed distorsionis habet. 4. Si omnino hi termini ut materia prop. in parte 1. sunt explicandi, sub habitudine* notionum secundarum *sunt explicandi, & sic erunt vel consentanei, vel dis, sentanei, prædicamentales, prædicabiles, simplices vel complexi, &c.* V. d. 6. t. 34. *factum*, non primarum, *quales sunt, Causa Causatum, Totum, Pars. Quæ omnia sunt realia, non notionalia. Et magis à Logico præsupponuntur, ut explicata in alijs disciplinis, quàm explicantur. Neq; in unâ parte & operatione Logicâ ea explicatio fieri debet, nec ijsdem præceptis & medijs, sed diversis. Quomodo isti termini subjecta & prædi: Enuntiationum esse possint, pars secunda Logices docet: quomodo sedes & materia argumentationum, sola Tertia & Syllogistica pars expediet. Ergò prout argumentum hic est in Topicis tractandum, cũ respectu ad ratiocinationem, non enuntiationem est tractandum, & sic ille respectus est alienus, quà tales termini materia enuntiationum fieri debent.*

21. Dices 3. *Isti termini faciunt ad inventionem materiæ alicujus argumenti Topici postea struendi. At inventio debet esse prior judicio. E. & isti termini ante doctrinam Syllogisticā proponendi. R. Materia argumenti hic non in uno termino & ejus explicatione reali est quærenda, qualis in Rameorum Log. invenitur, nam isti termini magnam partem sunt notiones primæ, simplices, & ipsæ res significato terminorum importatæ: At argumenta noti: secundæ complexæ sunt, & rationem, & quod probandum est, complectentes, Quidquid hic obfundat* Timpl. l. 1. Lo. c. 3. q. 4: *Sed vel in integro axiomate & maximâ quâdam, potentiam illam obedientialem ad argumentandum continente: vel in integro Syllogismo in certâ materiâ, ex tali probabili maximâ exstructo. Et hæc materia in* ipsâ Logices parte speciali *est docenda, ubi generalis forma Syllogistica jam fuit præmissa. Nec inventio propriè loquendo est pars Dialecticæ, sed officium & actio Logici, quâ ostenditur modus agendi in aliquam materiam & objectum, non ipsa nuda materia proponitur & agglomeratur. Sic Architectus non tradit institutionem de lapidibus, cæmentis, ferramentis: sed modum ea aliundè assumpta in certam formam ædificij conjungendi. Ita in simili Logicus materiâ aliundè assumptâ in certum arguendi modum explicare eam docet. Inventio propriè ad operationem tertiam pertinet, & est medij termini eductio, qui ratio sit, Cur conclusio affirmetur vel negetur, Non primæ partis est propria. Vt benè* Cl' I. M. q. 8. c. l.

22. 4. Argumentum est, quod ad aliquid arguendum affectum est. *At hæc affectio ad arguendū etiam in simplicibus terminis, causa, causato &c. esse potest. E. & illi ad Topicam pertinent. R. Argumentum est, quod actu arguit, s. ratio, quæ rei dubiæ fidem facit, ut loquitur* Cic. Top. ad Treb. §. 3. & Quintil. l. 5. c. 10. *& concedit* Timpl. c. l. q. 3. Scaligero *est corpus orationis, ex quâ argumentatio construitur,* l. 3. Poet: c. 70. *non solum*

lùm, quod arguere potest. Nec exempla Goclenij illam significationem uspiam ex authore probant. p. 1. prob. 10. *Nam cætera significata, ut cùm notat materiam rei, a. explanationem, notationem, distinctionē, argutā cogitationē, explicationē, q̄ adducit* Go. c. l. & Timpl. c. l. q. 2. *semper actum aliquem notant, non solam habilitatem ad actum, ut Ramei volunt. Et sic sunt aliena. Imò in tàm generali significato argumentum non semper erit* Logicū argumentum, *de cujus definitione hic quæritur: Sed quandoq̄* Rhetoricum, *ut cum Tropicæ voces declarantes adhibentur, ut Herodes est vulpes: quandoq̄* Poëticum, *ut, sydere est vox dactylica: Vel* Oratorium, *&c. quæ disciplinæ etiam suas notiones declarantes, illustrantes, habent, & sic sua argumenta. Quæ tamē hic sūt alienissima. Vt rectè* Cl. I. M. c. l. q. 10. Loc⁹ *est sedes argumēti, & sic habilitatē ad arguēdū involvit, unde arg. sumi possit.* Argumentum *Logicè est ipsa ratio è loco educta. Aptum esse ad arguendum notio prima est, non secunda,* t. 17. *Nec libertas Philosophica faciendi vocabula, quam hic adducunt* Scheib. Top. c. 1. n. 1. Alstedius l. 2. Log. har. c. 1. *satisfaciet. Nam ea est in casu necessitatis, qui hic non.* V. d. 2. t. 13. *Nec locus* Ciceronis é 4. d. finib. à Timpl. c. l. adductus, *probat istum usum vocis. Manifestè enim ibi notantur rationes ad probandas & explicandas res adductæ, quas ex omni copiâ sumi posse ait: Nec* Virgilij, Ovidij, a. Perotti *authoritates quicquam hic ad rem faciunt, quæ hic allegari solent, Vt pluribus ostendit* Cl. I. M. c. l. q. 11. *Plura hâc de re & lectu digna apud* Eundem c. l. q. 8. 9. 10. 11. 12. 14. seq. & C. 1. d. 4. q. 1. 2. C. 5. d. 7. q. 1. Wegerum Top. q. 4. Hippium qu: Log. 47. Cor. Mar. c. l. & alios vide.

23. *Neq̄ verò satis validè vel à Ramæis vel mistis hæc expugnantur. Neq̄* Zanakij *distinctio rem expediet c.* Cl: I. M. l. 1. s. 1. c. 14. q. 2. *aut* Alstedii l. 2. Log. har. c. 3. *vel* Timpleri c. l. q. 13. *terminos hos, causam, causatum &c. in* Metaphysicis *tracta-*

tractari, ut propria, modos & primas velut differentias entis, & esse protonoëmaticos: in Logicis *ut instrumenta s. argumenta, quibus explicetur aliquid a. probetur, & velut species argumenti Logici, & esse deuteronoëmaticos. Nam si sic, E. per potentiam obœdientialem ad operationam Logicam erunt tractandi: non realem significatorum natura illorum terminorum explicationem.* V. t. 18. *Qualis ferè tota tractatio Keck: & cæterorum mistorum in parte primâ est, Ut definitiones testantur. Et explicatio vel amplificatio, quæ semper urgent misti,* V. Alsted. l. 24. Eucycl. p. 1. c. 4. & l. 10. Lo. har: c. 4. *horum terminorum in rebus, si Logica sit, notionalis sit, & sic ex notionalib9 terminis Logicis dirigẽda est, v. g. Synonymis, paronymis, prædicabilib9, prædicamẽtis, postprædicamen. &c.* V. præc. dispp. *Si realis, à Logico è reali disciplinâ, id est, Metaphysicâ assumi poterit. Sic Logicus causas, effecta, objecta rei explicabit, ut cognitionem significati realis illorum terminorum à Metaphysico habet: Tropos in re & Schemata ostendet, ut Rhetor: Amplificationes, ut Orator, ex locis inventionis oratoriis: non ea omnia tenetur in suâ disciplina tanquam sibi propria tractare, ni immensum Chaos è Logicâ fabricaveris.* Conf. d. 6. t. 34.

24. *Dicitur 4. in def.* ad gignendam probabilem opinionem. Opinio *est assensus pendulus & imbecillis circa objectum, ex probabili medio ortus. De ejus naturâ plura tractare pertinet ad Animasticum.* V. Mend. d. 10. d. an. §. 60. *Estq́; finis & effectus Syll. Topici.* V. t. 8. 9. *Et in hac sistit Topicus, ut Topicus, perq́; hanc differt à Syll. Demonstrativo & necessario. Vide loc. citatum. Si alicubi necessaria intercurrant, vel per accidens & obiter id fit: vel sub habitudine probabilium assumuntur.* V. c. l.

25. *Fuit* definitio *Syll. Top. Sequitur* divisio *Hæc considerari potest* vel *respectu locorum, ex quibus Syll: Topici eruuntur,*

vel *ipsorum Syll. Topicorum exstructorum. Locorum divisio est varia. Quidam in locum maximæ, & locum differentiæ maximæ dividunt.* V. Schei. To. c. 1. n. 13. Philippus in locos *personarum & rerum.* V. Cor: Mar. c. 5. Top. *Ramei discrimen locorum & argumentorum rejiciunt,* V. Cl. I. M. c. l. q. 10. *& locos in externos & internos, primos & ortos, consentaneos & dissentaneos dividunt. Istos explicandi modos, prout Rameus traduntur, usitatè, jure confutat Idem* c. l. *Commodissimè & locus & Syll. Topicus dividetur 1. In artificialē & inartificialem. Quanquam locum â testim: divino inartificialē dicendum negat* Gutkius d. 25. Log. loc. 19. & Syn. Log. p. 616. *Quod tamen concedi potest, cum de assumptâ aliquâ in probando vi, non insita, ut in cæteris, intelligitur. De quo* Scribonium l. 1. Dial. c. 32. *contra* Piscatorem *disceptantem vide.* 2. *Artificialis in Nominalem, ut Conjugata, Notatio, Derivatio, Transumptio, &c. & realem. &c. 3. Realis in absolutos, ut à Causis, Causatis, generib. specieb. totis, partib. &c. & comparatos, ut à meliori, præstantiori, nobiliori. Canones eorum fusè persequuntur* Arist. l. 2. 3. 4. Top. Cl. I. M. l. 6. instit. Lo. Schei. Top. c. 2. 3. Keck. l. 3. Log. s. 2. c. 2. 3. Regius l. 4. Log. q. 10. Titelm. l. 5. Lo. c. 3. 4. *seq. & alij.* Syll. Topicus *similes divisiones admittere potest.*

26. *Sic & divisio Syll. Top. fuit.* Affectiones *sunt* 1. Vtilitas *& necessitas ejus. De ea Vid.* Arist. l. 1. Top. c. 2. Conimbr. Fabrum & Morisan. in h. l. Keck. c. l. c. 1. Reg. c. l. q. 9. Titelm. præf. l. 5. 2. Ordo. *Qui is, ut Necessario postponatur. V. t.* 4. 3. Generalitas ejus, *quâ ab omnib. disciplinis & facultatib. adhibetur, Omnesq; à Locis Topicis argumentorum materiam depromunt, deq; illis quærunt. Sic in Theologicis, Philosophicis, Juridicis, Medicis, vari⁹ ejus us⁹, quos* Hyper. Middelb. Reberteria, Matth. Stephani, Dan. Otto, Joh. Reichius, *alijq; peculiarib. scriptis deduxerunt. Sic,* an *an genus peccati privatio, habitus, actus sit,* an *fides electorum propria sit?* An *ebrietas gravius peccatum scortatione?* An *Philosophia præstantior Jurispr. & Medicina, & Philosophus ICto & Medico? & similia.*

H NICOLAI
OPERA.
TOMUS II.